Observationes Criticae

in

Primum Ciceronis Librum

de

Re Publica.

P. II.

Scripsit

W. C. Kayser,

Ph. Dr., Sup. Ord. Praec., Lat. Societ. Jen. Socius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ἐπεὶ δ' ἑκατέρως λεγόμενον οὐδετέρως ἐστὶ πιθανὸν, ἐπὶ τὸ μεταγράφειν αὐτὸ παρεγένοντο πολλοὶ, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ὅσα καθ' ἓν ὄνομα τὴν ἀσάφειαν ἔχει.

Galen. Comment. T. V, 2 pag. 459.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cap. II.

Xenocraten. Editores omnes praeter Majum et Lehnerum correxerunt *Xenocratem,* quasi nec Ciceronem certo scirent neque aequales ejus in accusativo horum nominum casu imitari Graecos potuisse. Qua de re nec temere neque cupide judicandum est, praesertim cum non pauca hujus generis exempla in praestantissimis libris reperiantur. Nam de illis quidem vix quisquam dubitabit, quae ab ipsis Graecis secundum primam declinationem formari solita sunt, etsi Romani tertiam in aliis casibus sequi maluerunt. Ut *Eufraten* in Cod. Erf. quem ad modum Cic. Ep. ad Fam. XV, 1, 1; 3, 1. legatur, sic semper scriptum esse Wunderus dicit. Item *Xerxenque* Beierus de Off. III, 11, 48 ex Codd. Lips., Magont. duobusque Gudd. recepit. Huic autem generi alterum finitimum est nominum, quorum accusativos Graeci modo ad primam declinationem, modo ad tertiam accomodarunt. Quorum consuetudinem nonnunquam imitatos esse Romanos, concedit Madvig. Gr. Lat. 6, 4, 2d. Atque in praestantissimo quidem libro Vaticano Or. in Verr. V. 51, 134 *Cleomenen* invenitur, etsi is paullo infra ibid. 52, 135 *Cleomenem* habet. Pari modo *Socraten* Tuscul. Disp. III, 4, 8 Codd. Reg. et Pithoean. servarunt, unde id nuper Tregder. recepit, eandemque formam Cat. Maj. VII, 23, VIII, 25 fides libri Erfurtensis probat, qui perpaucis omnino mendis et erroribus est inquinatus. Idem VII, 23 *Xenocraten* habet. Ex Cod. Reg. Tuscul. Disp. I, 5, 10 Wessenbergius Emend. Cic. Tusc. P. II, pg. 2 *Demosthenen* reponi voluit, id quod Brut. 36, 138 Cod. Lagom. 8 suppeditat. Adjungo *Isocraten* de Orat. III, 19, 72 ex Lagomarsini Cod. 65, quem nitidissime et satis emendate scriptum esse, extrema parte excepta, ipse Ellendtius Praefat. XVI affirmat, *Naucraten* Orat. 51, 172 ex Cod. Dresd., *Thalen* de Divin. II, 27, 58, quod et Orellius scripsit et Ellendt. ad Cic. de Orat. II, 74 299 certius esse ait. Nec scriptura Codd. Reg. et Pithoean. Tusculan. Disp. I, 26, 65 *Ganymeden* aut ibid. IV, 3, 5 *Diogenen* silentio praetermittenda est. Unde tot tam insignium codicum menda orta putemus, si Cicero nunquam usurpavisse videtur hanc formam accusativi? Ac plura etiam nobilissimi scriptoris dicta habent eandem suspicionis caussam. Reliquum est enim tertium nominum genus, in quo Romani rationem Graecorum potius, quam Atticorum morem imitati sunt. Apud quos nomina, in *κλῆς* desinentia, non habuisse accusativum constat, qui in *κλῆν* caderet; quem cum nonnulli novare fuissent ausi, in grammaticorum reprehensionem incurrerunt,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Phrynich. Eclog. pg. 156. c. not. Lobeck.; Thom. Mag. pg. 171; Buttm. Gr. Gr. T. I. pg. 205. Attamen *Periclen* Cicero Brut. 7, 27, ubi id in optimis libris Lagom. 5, 51, 53, 56 servatum est, de Orat III, 19, 71, si Codici Lagom. 81 fides haberi potest, de Offic. I, 30, 108, dummodo Cod. Bern. reliquis libris praeferatur, ibid. II, 17, 60 dixit, ubi haec forma in Codd. Vin. et Goth. legitur. Et ipse Beierus ibid. I, 40, 144 *Sophoclen* et 30, 108 *Themistoclen* scripsit. In orationibus denique Verrin. III, 86 125. duo Codd. habent *Dioclen*, unus Lagom. 29, alter Paris. Apud Cornelium Nepotem in libro Gudiano, quo nullus est praestantior, *Ipsicrathen* pro *Iphicraten*, Iphicr. II, 15, legimus, idque etiam Cod. Sang. ibidem servavit. Idem liber Them. 8, 7; 9, 1 *Themistoclen* tuetur. Omitto plurima barbarorum nomina, ab illis Graecorum scriptoribus sumpta, quos auctores ante oculos habuit; quae quo minus usitata apud Romanos erant, eo saepius immutata transtulit in Latinam orationem.[1]) Jam de poetarum usu cf. Wagner. Quaest. Virg III. Quocirca recentiores, qui nomina tali modo declinarunt, probatam civium consuetudinem aeque ac morem Graecorum secuti videntur. Ut Vellejus Paterculus et *Menecraten* et *Euphraten* et *Xerxen* et *Mithridaten* et *Artavasden* et *Segesten* scripsit. Kritz. ad II, 33, 1. Apud Tacitum Orellius in Ann. II, 4 *Ariobarzanen*, VI, 18. *Theophanen*, 32. *Phrahaten*, *Tiridaten*, *Mithridaten*, alia edidit. Item Plinio in Nat. Hist. nuper Silligius II, 108, 112, VI, 27, 130 *Euphraten*, Cf. VI, 17, 63, in editione vindicavit, quae egregia supellectile critica splendet. Curtium addo, qui quot habeat exempla hujus generis, ex Zumpt. Ind. videre licet. Similes denique Frontonis formas apud Haas. ad Reisig. pg. 109. invenies. Atque hi omnes majorem etiam copiam earum, quam superiores illi suppeditant, quod, Graecis literis eruditi, elegantiam orationis si non neglexerunt, at artificiis rhetorum certe postposuerunt et ornamentis doctrinae variis, quibus animos legentium facile delectatum iri sperarent. Haec autem copiosus disputavi, ut accusativos ejusmodi, ubi auctoritate Codd. satis idonea confirmarentur, non temere tollendos esse demonstrarem, quippe qui neque a limato Ciceronis genere dicendi neque a consuetudine recentiorum scriptorum alieni fuisse viderentur.

quid assequerentur. Emendator, qui notissima quaeque artis praecepta diligentissime tenuit, cum in codice ita scriptum repperisset, mirabiliter *quod assequerentur* scripsit. Eumne id mutavisse putamus, quod grammaticos audierit, qui haec pronomina, ut est ap. Priscian. T. I pg. 563; II, pg. 24 ed. Krehl., nihil aut parum inter se differre docerent? Quid vero fuit, cur interrogativum ferre nollet? An alios libros ad correctionem adhibuit? Quod contendere non ausim, nisi id gravioribus rationibus demonstrari poterit. Itaque nihil reliquum est, nisi ut eum sententiam ita interpretatum esse putemus, quasi legeret: *cum quaereretur ex eo id, quod assequerentur ejus discipuli.* Nam relativum pronomen hoc modo collocari posse, demonstrativo omisso, Priscianus T. II pg. 25 docet.

Ergo ille civis, qui id cogit omnes imperio legumque poena, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam his, qui illa disputant, ipsis

1) Artaxerxen Them. 9, 1. Datam. 1, 1; Ages II, 1; Datamen Datam. 8, 1; 9, 2, Susametren Alcibiad. 10, 3. Atque haec quidem in cod. Guelph; alii autem libri aliis locis Seuthen, Tethrausten.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est praeferendus doctoribus. Cum haec et in libro manu scripto legantur et a Majo, Lehnero, Schutzio edita sint, Heinrichius sententiae rectius consulere conatus est. Scripsit igitur *cives*, idque non subjectum, sed objectum haberi voluit. Hoc autem Steinack., Mos., Orell. placuit. Sed Cicero sententiam illustrat, quam de Off. I, 26, 92 paucis comprehendit: *Illud autem sic est judicandum, maximas geri res et maximi animi ab iis, qui res publicas regant, quod earum administratio latissime pateat ad plurimosque pertineat.* Contendit enim, civilem virum cum philosopho, quum propositum, quod ambo commune habeant, is, qui civitati praesit, longe certius atque perfectius, quam otiosi doctores, consequatur. Namque hi paucos tantum movere possunt, ut faciant id, quod rectum sit atque justum; illi omnes adducunt, ut semper id ipsum observent. Hi oratione utuntur, illi imperio ac metu poenae, ut cives perficiant id, quod leges aut jubeant aut vetent. Itaque hi persuadent, illi autem cogunt. Quod contrarium quo clarius efferatur, ut pauci respondent omnibus et oratio imperio contraria dicitur legumque poenae; ita sequi necesse est, ut magistratus expresse doctoribus opponantur. Atqui discipuli philosophorum civibus non sunt contrarii, quippe qui nihil aliud assequi studeant, nisi ut civium officiis quam optime satisfaciant. Ergo inepte praeclarissimus scriptor objectum initio sententiae collocavisset, quum id nihil haberet, cur vis ejus augenda esset. Idem chiasmi concinnitatem perturbasset, si, verbis sic dispositis, neque nomen pronomini *ille* adjunxisset et postea *hi doctores* usurpavisset. Accedit dictum Lactantii Institut. III, 16, ad similitudinem hujus sententiae aperte expressum: *Sapientia autem nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exerceat, inanis et falsa est; recteque Tullius civiles viros, qui rem publicam gubernent, qui urbes aut novas constituant aut constitutas aequitate tueantur, qui salutem civitatemque civium vel bonis legibus vel salubribus consiliis vel judiciis gravibus conservent, philosophiae doctoribus praefert.* Ubi eloquentissimus interpres scripturae codicis palimpsesti certe suffragatur.

his. Sic emendator vetus recte correxit, cum *is* scriptum invenisset. Nam et doctores significantur, de quibus hic quaeritur, civilibus viris praeferendi an vero postponendi sint, et natura contrari postulat, ut illum civem hi doctores insequantur.

Quae est enim. Ita recte emendator scripsit; at librarius *quae etenim* dederat. Nam prior vocularum, ex quibus particula *etenim* copulata est, aetate Ciceronis non adeo obsoleverat, ut vis alterius tantum a Romanis sentiri utque compositititium verbum non modo pro simplici „*enim*“ usurpari, verum in ejus locum etiam plane succedere inciperet. Nam apud Ciceronem quidem dictum non esse, in quo particula *etenim* alterum sententiae locum teneat, inter doctos viros constat. Cf. Orell. ad Caton. IX, 29, de Legg. II, 22, 57; Madwig. Opusc. T. I. pg. 390 Not. Ortum est autem mendum ex mala notarum interpretatione (ē est, ē et. Cf. Lachmann. Ind. Sigl., quae in Gaji cod. rep. pg. 446 et 448.), quae aliis quoque locis eundem errorem peperit. Vid. Orell. ad Cic. Ep. ad Qu. Fratr. I, 1, 33; Pseud-Ascon. in Verr. pg. 129, 6; Alschefsk. ad Liv. T. II pg. 274, 11. Nec librarius voculam falso repositam dubitavit cum *enim* conjungere, quoniam aequales ejus *etenim* altero sententiae loco nonnunquam collocabant. Id autem ante finem secundi vel initium tertii

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

seculi novari coeptum non est.[1]) Exempla enim apud principes juris consultorum, Papinianum (Digest. L. X, Tit. 2, 35, L. IV, Tit. 5, 9), Paulum (Ibid. L. XII. T. III, 25), Ulpianum (Ibid. L. I. Tit. 13, 2, L. V, Tit. 3, 25, 5) suppetunt; unum habet Schol. Bob. ad Orat. in Vatin. pg. 323, 14. „*ipsius etenim Vatinii lege, quam tulerat in tribunatu, non satis aperte neque distincte apparebat.*“ Quibus quidem exemplis dicta scholiastarum non pauca addi posse, contendit Hand. ad Tursellin. T. II, pg. 545. Sed quamvis cum alia scripta percurrerem, tum scholia Pseudo-Asconi et Gronovi legerem nec Bobiensia omitterem nec vero illa, quae Suringar. ex Leidensi libro edidit, Hist. Crit. Schol. P I. pg. 213.; tamen nihil inveni, quo verborum ordinem, in Ciceronis contextum perperam illatum, sive scholiastis recentiorum temporum demonstrarem sive grammaticis ita placuisse, ut eum ceteroqui vestigia hominis eloquentissimi diligenter persequentes, imitati viderentur. Quod ei bene animadvertendum est, qui hoc mendum ab emendatore recte sublatum esse miratur.

quae sit anteponenda bene constitutae civitati publico jure et moribus. Haec scriptura est primae manus, quae quin plane probanda sit, dubitare non licet. Namque urbem qui condit, is proprie constituere (*συνίστασθαι* Plat. de Legg. pg. 702. D) dicitur, Cic. de Invent I, 1, 3. in Catil. I, 13, 33. Item civitatem constituit, qui fundamenta ponit urbis, quam cives incolant, de Off. II, 21, 73. Cum vero ea sit civitatis natura, ut fundamenta legum habeat, de Legg. III, 1, 3, p. Cluent. 53, 146, nec ullus hominum coetus possit hoc nomine recte appellari, nisi jure sit sociatus, Somn. Scip. 3, de Rep. I, 25; civitatem non modo qui urbes condiderunt, verum illi etiam constituisse dicuntur, qui auctores vel legum vel moris extiterunt. Quod autem illa vis verbi propria latius patet, haec restricta perspicue intelligi non potest, nisi leges et instituta commemorantur, quae quis sanxit, aut tota sententiae vis indicat, de legum latione aeque ac de fundamentis esse cogitandum. Ut in his libris II, 1 *Qui suam quisque rem publicam constituisset legibus atque institutis suis.* 38 *Nec tamen didici ex oratione tua istam ipsam rem publicam, quam laudas, qua disciplina, quibus moribus aut legibus constituere vel conservare possimus.* Quod vero vim hujus verbi vel ipsius ratione sententiae vel perpetuitate orationis nonnunquam accuratius definiri diximus, id in Menedemi rhetoris dictum cadit, qui ap. Cic. de Orat. I, 19, 85 contendit, „*esse quandam prudentiam, quae versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum rerum publicarum.*“ Quod quia contra philosophos disputat, civilem doctrinam sibi unice deberi affirmantes, hanc artem omnem intelligit, qua ratio non solum fundandae ac regendae, verum instituendae etiam rei publicae comprehenditur. Eandem disciplinam intelligit Scaevola l. l. I, 9, 35, qui non omnino laudes hominum, quae usu rerum civilium comparentur, in oratores esse transferendas docet: *sed illa duo, Crasse, vereor, ut tibi possim concedere, unum quod ab oratoribus civitates et initio constitutas et saepe conservatas esse dixisti*.... 36 „.. *aut vero reliquas utilitates aut in constituendis aut in conservandis civitatibus non a sapientibus et fortibus viris, sed a disertis et ornate dicentibus esse constitutas.*“ Quam signi-

---

1) Eodem loco frequentius namque (Augustin. de Civ. Dei I, 1, XIV, 9; Boeth. in Cic. Top. ap. Orell. T. V, pg. 271, 15, pg. 370, 16; Schol. ad Juven. III, 526; Schol. Bob. ad Orat. p. Planc. 26, 2, 57, 2), rarius nam (Schol. Juven. VII, 60, IV, 61) collocatum est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ficationem verbi corrector neque ex Ciceronis scriptis cognovit neque accurate definiri voluit. Scripsit enim: *publico juri et moribus*, quasi civitas bene constituta, id est, opportuno loco prudenter condita, simul et leges et instituta haberet, quibus cives ad acerrimum virtutis studium excitari atque adduci oporteret. Haec vero civitas ei, qui orationem Ciceronis sequitur, instituta potius, quam constituta dicenda est. Nam de discrimine, quod inter duo verba interest, non satis distincte Heusinger. ad Cic. de Off. II, 11, recte autem Ellendt. ad Cic. de Orat. T. II. pg. 30 exposuit. Quod quum recentiores grammatici plane ignorarent, sicut corrector ignoravit, plurima menda similiter ac nostro loco in libros illata sunt, in quibus saepenumero haeremus dubitantes, quid in summa codicum discrepantia legere praestet. Nec enim id cognitum habuit Victorinus, qui verba Ciceronis de. Inv. I, 1, 1 „*multas urbes constitutas, plurima bella restincta*“ ap. Orell. T. V. P. 1. p. 5, 22 ita exponit: „*Dicendum est hoc loco, quid sit civitas. Est autem civitas collecta hominum multitudo ad jure vivendum. Quum ergo fuerit civitas constituta, necesse est, ut primo bella patiatur, postea pacem agat.*“ Quae ille non contendisset neque ita disputavisset, si constitutas urbes a civitatibus institutis discrevisset. Eodem errore ducti sunt, qui de Orat. I, 19, 86 *de civitatibus constituendis* scripserunt, quod unus liber Lagom. 14 in textu habet, alter 15 a correctore traxit. Est enim haec glossa, ut *statuendis*, quod in Cod. Lag. 6. invenimus. Nec talis discrepantia ibid. I, 9, 36. non reperitur, ubi libri pauciores *constituendis* habent, quam *instituendis*, quum tamen illud unice probari possit. Simillimum est autem vitium, quo de Off. II, 11 omnes codices inquinati sunt. Ubi Beierus et Orellius: *Cum igitur tanta vis justitiae sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat, quantam vim inter leges et judicia et in constituta re publica fore putamus?* Ubi extrema pars admodum languet. Qui enim inter leges et judicia versatur, is in re publica vivit, quae non constituta modo, verum etiam instituta est. Itaque leges et instituta neque cum constituta re publica comparari neque ex aequo poni queunt. Quocirca nisi glossator quidam verba *inter leges et judicia rei publicae* inepte amplificavit, sic esse scribendum arbitror: *inter leges et judicia in instituta re publica*. Nam copulam *et* Lang., Fabr., Graev. delerunt, eaque ab Excerpt. Pith. abest.; *instituta* autem habet Cod. Goth., cui Cod. Bern., duo Fabr.; Editt. Victor. Rom., Venet. quodammodo suffragantur, quod *instituta rei publicae* habent.

et ad hanc voluptatem. Nec enim ad opes rei publicae augendas trahimur neque salutem civium aut gloriam defendimus, nisi desiderio voluptatis, qua fruitur, quicunque officio satisfecit. de Fin. I, 7, 25, ... *ita putant dici ab illo, (Epicuro) recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, id est, voluptatem.* ibid, V, 24, 70. *Quem enim deditum voluptatibus, cupiditatum incendiis inflammatum in iis potiendis, quae acerrime concupivisset, tanta laetitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Africanum, Annibale victo, aut posteriorem, Carthagine eversa? Quem Tiberina decursio festo illo die tanto gaudio affecit, quanto L. Paullum, cum regem Persen captum adduceret, eodem flumine invectio? Age nunc, Luci noster, exstrue animo altitudinem excellentiamque virtutum; jam non dubitabis, quin earum compotes homines magno animo erectoque viventes semper sint beati.*“ Itaque communis studium salutis adfert voluptatem,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de qua etiam Anonym. Paneg. Maxim. et Constantin. c. 2. *Voluptas conservandi generis humani.* Quae quanquam necessario oritur, ita tamen significari non potest, quasi nihil ab ipso fonte differat, unde manet, praesertim quum Cicero plurimis locis voluptatem corporis Epicurio more intelligat, quae ab honestate ac virtute procul abhorret, ut contraria iis habeatur, de Fin. II, 8, 75, de Off. III, 33. Tanta est igitur haec dicendi brevitas vel potius obscuritas, quanta cum Ciceronis elegantia conciliari nequeat. Quae lectione Moseri, *voluptatem* scribentis, optime tollitur. Quoties vero haec nomina sint confusa, Gothofr. ad Cic. Parad. 5, Heusinger. ad Cic. de Off. I, 26, 90, Orell. ad Cic. Ep. ad Attic. I, 9; 11, 2, Fickert. ad Senec. Ep. I, 7, 9; II, 9, 11. docent. Addo consuetudinem Ciceronis, qui studium, quod quidem superioribus dictis clare significatur, cum voluntate saepe conjunxit de Invent. II, 31, 97; p. Flacco 4, 9.

Cap. III.

re publica defendenda. Praepositionem *in* addidit Schutzius, eaque nec Mosero neque Orellio displicuit. Sed tamen Cicero saepenumero ut causam, ita rem, qua quid efficitur, et materiem, in qua aliqua vis apparet, ablativo gerundi significat, non addita praepositione *in,* quam non nostri solum grammatici desiderant, verum antiqui etiam multifariam in textum intulerunt. Ut Partit. Orat 22, 76 *quae vero moderandis cupiditatibus regendisque animi motibus laudatur.* de Orat. II, 9, 34 *qui actor imitanda, quam orator suscipienda veritate jucundior?* Recte enim *in* Ellendtius omisit, quippe quod in nonnullis codd. non invenisset. Idem Brut. 67, 238. *at inveniendis componendisque rebus mira accuratio* scripsit, multorum fide librorum ductus. Quibus quidem exemplis, ex eorum numero delibatis, quae Ellendtius ad Cic. de Orat. I, 3, 12. congessit, ipse duo adjiciam. Est enim in Orat. p. Quint. I, 1. *Eloquentia Q. Hortensi ne me dicendo impediat, nonnihil commoveor.* Ubi praepositionem, quam Garatonius ab editt. multis abesse ait, neque Edit. Venet. ann. 1480 habet neque liber Bernensis neque vero novem Codd. Paris., quos cum pridem hoc nomine Lallemandus appellavisset, Kellerus Semestr. ad M. Tullium Ciceron. Vol. I. pg. 208 nuper excussit. Alterum autem dictum in his libris III, 15 *Sed errore quodam fallimur ita disputando* exstat.

neque tantis solum in rebus. Cod. *neque tai solum in tantis rebus,* quanquam corrector *tai* delevit. Hoc autem aperte compendium scripturae vetus est. Cujus interpretationem posteaquam librarius vel grammaticus recte adjunxit, alius in contextum inepto loco recepit, vi sententiae non spectata neque vero recte intellecta. Atque ipse corrector et originem mendi ignoravit et locum non novit, in quem integrum verbum transferre deberet. Scribendum est igitur id, quod Moserus etsi conjectura invenit, reficere tamen ausus non est *neque tantis solum in rebus.* Similiter autem hae voculae aliis verbis disjunguntur de Nat. Deor I, 21, 58: *judico tamen, de re obscura atque difficili a te dictum esse dilucide neque sententiis solum copiose, sed verbis etiam ornatius, quam solent.* Tusculan III, 11, 24: *Est igitur causa omnis in opinione nec vero aegritudinis solum, sed etiam reliquarum omnium perturbationum.*

Hinc enim illa et apud Graecos exempla. Consecutionem verborum Moserus recte contra illos defendit, qui voculam *et* exterminare aut alium in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

locum transferre conati sunt. Est enim illud locutionis genus, de quo Madvigius ad Cic. de Fin. Exc. I. pg. 801 et Hand. ad Tursellin. T. II. pg. 517 disputarunt. Quod vero Heinrichius „*et Miltiadem*“ scribere voluit, id rationi sententiae maxime adversatur. Nam scriptor cum homines numerat, quos de patria optime meritos sui cives pessime habuerint, primum Miltiadem commemorat, tum Themistoclem, cui ille aetate antecessit. Sed supplicium, quod sumptum de Miltiade est, longe crudelius exilio Themistoclis fuit. Nep. Milt. 7, 8 Themist. 8, 10. Nec aliter de utriusque calamitate ipsum sensisse Ciceronem, hic locus declarat. Atqui particulis et — et sententiae non conjunguntur, nisi ex aequo ita sunt positae, ut priorem posterior vincat gravitate. Sturenburg. ad. Cic. p. Arch. pg. 26, de Off. pg. 140.

principum caedes. Non solum insolens dicendi genus, quo haec nomina in sententiam inclusa sunt, cujus partibus nulla voce conjunguntur, verum ipsa etiam vis orationis atque perpetuitas glossam hic esse docet. Nam C. Marium, virum militari gloria insignem, vehementer admirari Cicero solet, qui eum aut summis laudibus tollit aut tantis certe opprobriis non prosequitur, quantis immanitas ejus reprehendi potest, sive civem suum coli cupide voluit sive immortalium famam hominum, qui diem supremum obissent, ut est p. Rabir. 10, 31, contra malignorum invidiam optimo cuique civi defendendam esse putavit. Itaque eum non solum singulari celebravit carmine, verum etiam patrem patriae et parentem libertatis ac rei publicae nuncupat, p. Rabir. 10, 27, et vero virum etiam dicit, cui nemo gravitate antecedat aut constantia aut prudentia aut religione aut aequitate aut ullo denique genere virtutum, p. Balb. 20, 46. Cujus vim atque crudelitatem, qua exsul, domum revocatus, atrocem nobilissimorum civium fecit ac senatorum amplissimorum stragem, tum ita reprehendit, ut extremam vitae gloriosae partem tanta iracundiae vi — inde enim id ortum esse Philipp. XI, 1, 1. opinatur — contaminatam contendat, Tusculan. Disp. V, 19, 86, tum artificiose dissimulat, auctore miserrimi spectaculi non clare appellato. de Orat. III, 2, 8. *Non vidit Crassus flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filii, non exilium gentis, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum ejus caedem omnium crudelissimam.* Odium vero summorum ordinum, quorum auctoritati ipse Cicero plurimum favebat, in tanto homine fuisse, nullo loco indicat. Nimirum hoc studio tranquillitatem civitatis perturbatam ac publicam salutem in summum discrimen adductam esse concessisset. Id vero ipsum huic manifesto dedisset crimini, si addidisset id, quod legimus, *principum caedes.* Quotusquisque enim fuisse videtur, quin haec legens et ejus rei subito meminisset, de qua omnes historici consentiunt, senatores tum maxime trucidatos esse ac principes (Liv. Epit. 80; Vellej. Paterc. II, 22; Florus III, 21, 13; Eutrop. V, 7; Aurel Vict. 67, 6) neque illam caedem a multis temere factam, aliis alia consilia sequentibus, sed unius vel paucorum imperio perpetratam sentiret, qui potentissimis civibus trucidandis et dominatum confirmare et iracundiae satisfacere voluissent, quam senatores paullo ante vehementer commovissent? Omnes vero Marium, ut tantae reum culpae, sic acerrimum haberent nobilitatis adversarium necesse fuit, qui perniciosam illustrium ordinum contentionem inflammasset, qua rem publicam magnopere labefactam ipse Cicero vidit. Gravissimum est

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

igitur discrimen, quod inter hoc dictum atque illam publicae calamitatis descriptionem intercedit, quam ex libris de Oratore supra protulimus. Quis enim tristissimi memoria exili moveri potuit, quod vir summus aegerrime tulit, cum mentione ultionis, a senatoribus repetitae, ad commoda, quae exilium ejus, si diuturnum fuisset, patriae attulisset, facilius pellectus est, quam ad magnitudinem injuriarum spectandam, quibus tanta sanguinis sitis in eo excitata est? Namque ultio haud dubie gravior, quam acerba injuria fuit. Quis autem id magno commodo civitati futurum fuisse neget, si factiosus vir nunquam redisset, qui suis ipsius commodis usque adeo inserviit, ut commoda civium plane oblivisceretur? Itaque nec misericordiam haec fuga movisset nec facile quispiam vim contumeliae sensisset, qua Marium senatores exacerbarant. Atqui hos sensus Cicero commovere iniquissimis rebus narrandis voluit, quas ut praestantissimi homines olim experti fuissent, ita ipse paullo ante tulisse sibi videretur. Quid vero caussae habuit, cur acerbitatem Mari gravius notaret, quam crudelitatem Syllae, ad quem extrema verba pertinere apparet, scriptura libri servata? Qui quanquam crudelissimam necem civium clarissimorum est punitus, Philipp. 2, 7, tamen trium vitiorum pestiferorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis magister ab eo dicitur, de Fin. III, 22, 75. Nec vero imperium habuisse, sed regnum vere videbatur, ad Attic. VIII, 11, 2, quippe qui et in bona (Verrin. III. 35, 81, de Leg. Agr. II, 29, 81.) saevisset et in capita civium crudelitatem adhibuisset. Nam praeter Marium, quem paene dilaniavit, Senec. de Ira. III, 18; Florus III, 21, 26; Sallust. Fragm. Hist. ap. Rufin. de Schem. §. 11., multos fortes viros partim ex civitate ejecit, partim interemit, in Catil. III, 10, 24; p. Ligar. IV, 12 „*Sylla dictator omnes, quos oderat, morte multabat. Ipse jubebat occidi, nullo postulante.*“ Addo rem gravissimam, equestris ordinis odium, quo vehementer exarsit p. Cluent. LV, 151. *Postea L. Sylla, homo a populi caussa remotissimus, pro illo odio, quod habuit in equestrem ordinem, acerbitate proscriptionis suae est usus in veteres judices.* Nec vero ipsis senatoribus pepercisse dicitur, etsi plures equitum sustulit, quam senatorum. De qua caede Appian. de bell. Civ. I. pg. 409. Quanta autem hujus crudelitas fuerit, ex rerum monumentis (Liv. Ep. 88; Sallust. Jug. 95) intelligi potest, quae nihil hoc immanius fuisse testantur. Quae quum ita sint, hoc dictum non solum ab ingenio Ciceronis est alienum, verum etiam cum vi ac ratione sententiae, in quam est inculcatum, non facile conciliatur. Ergo glossam esse statuimus. Qua exterminata, reliqua bene conspirant. Nam Cicero, tristissima Mari fuga commemorata, ne miseram eorum caedem omitteret, qui partim a Mario, partim a Sylla trucidati erant, neve civem tanti sceleris aperte insimularet, tot necem hominum sic indicavit, ut culpa auctorum tam funesti spectaculi incerta relinqueretur. Oratio autem tam in Syllam, quam in Marium convenit. Post grammaticus, qui vim sententiae bene intelligeret resque ipsas nosset, quarum memoria subire animum legentis deberet, *principum caedes* addidit.

Nec vero jam meo nomine. Reponendum est enim pronomen, quod in codice omissum, apud Arusianum Messum autem in Corp. Grammat. Lindem. T. pg. 216 servatum est, cum is haec habeat: *Nec vero jam meo nomine abstinet.* Error autem ex nota ortus videtur, quam Valer. Prob. de liter. antiq. pg. 160 ed. Basil. commemorat, M. N., cujus prima litera male cum antecedenti

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vocula coaluit, in eandem consonantem cadente, quae ipsa non plene, sed compendio scripturae consignata fuit iā. Item quod grammaticus ille mendose *abstinet* scribit pro *abstinent*, ex scripturae compendio natum est.

tramittant. Hanc formam quare Lehnerus, Heinrichius, Moserus, Nobbius ex Vaticano libro recipere noluerint, qui *transmittant* scribunt, mihi non liquet. Namque et vetusta neque ab oratione recentiorum atque optimorum scriptorum aliena fuit. Ut Plaut. Epid III, 4, 27 *Mihi illanc ut tramittas.* Ita enim vulgatum est, quanquam Lambinus libros manu scriptos habuit, in quibus *transmittas* esset (Cf. Not. ej. ad. h. l.), quod in eadem fabula I, 2, 52 *(ut illam transmittas sibi)* editiones Lambini et Taubmanni tuentur. Praestantissimus est autem liber Puteani, unde ap. Liv. XXVIII, 5 *tramittunt;* XXVII, 29. *tramisit* repositum est (Cf. Gronov. ad h. l.), neque aliud exemplar esse puto, in quo Jacobus Gronovius XXVIII, 37 *tramisit* XXVIII, 41 *tramissa* legi testatur. Ut vero optimi libri ap. Ciceron. ad Attic. VIII, 13, 1 *tramisisset*, IX, XVI, 6, 1 *tramitti* suppeditant, ita nullam omnino lectionis varietatem indicavit Orellius, cum ibidem XVI, 6, 1 *(quos tramitti oporteret) tramitti* et 7, 1 *(inde enim tramittebam) tramittebam* scripsit. Eandem formam vetus corrector ibid. VIII, 11, *tra* in egregio exemplari Mediceo refecit, ubi *irremissurum* reperimus. Ac Velius Longus quidem pg. 2227, qui duo verborum genera discernit, unum, quod cum alterutra praepositionis forma conjungi debeat, alterum, quod utramque admittat quodque ab aliis cum plena praepositione copuletur, ab aliis autem cum minuta conjungi soleat propter soni lenitatem, in hoc numero *transposuit, traposuit, transmisit, tramisit* habuit. Eandem usus varietatem ex aetatis discrimine judicandam esse, cum Donatus ad Terent. Phor. Prolog. 2. docet, tam ambigue loquitur, ut praecepta ejus ad hanc rem definiendam non multum valeant.

Cap. IV.

jurassem. Ita in Cod. Vatican. scriptum est; at emendator voluit *juravissem* legi, quod editoribus mirifice placuit. Quid enim? Luculentissimus est Ciceronis locus Orat. XLVII, 157, ubi ipse scriptor elegantissimus contra analogiae magistros de dicendi consuetudine aequalium: *Quid?* inquit, *quod sic loqui nosse, judicasse vetant, novisse jubent et judicavisse? quasi vero nesciamus, in hoc genere et plenum verbum recte dici et imminutum usitate.* Itaque imminutas formas si non usitatiores, quam plenas, at consuetudine Romanorum tritissimas fuisse contendit, neque ullam litterarum, quae contractione junguntur, rationem aut ipse habet aut adversariis tribuit. Quin eas exemplo Terenti demonstrat sine ullo fere discrimine inter se permutatas esse. l.l. „*Itaque utrumque Terentius: Eho tu cognatum tuum non noras* (Phorm. II. 3, 37)? *post idem: Stilponem, inquam, noveras* (Phorm. II, 3, 41)?“ Nec aliter ipse loqui non dubitavit, ut ex fragmento horum librorum intelligimus, quod apud Non. s. v. „mitis“ est: *Cumque auctumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hieme ad conficiendas relaxarit, aestiva maturitate alia mitigaverit, alia torruerit.* Neque ullum discrimen in hoc usu commemoravit Charisius II, 9. Doctores autem analogiae nec talem differentiam agnoscere nec suavitati vocis multum dare potuerunt, dum modo aliquam servare vellent constantiam, qua orationem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad exilia artis praecepta revocare potius atque emendare, quam ex omnibus caussis cognitam arte concludere mallent. Quod mihi monendum est, non quo facilitatem pronuntiationis aut difficultatem id effecisse negem, ut nonnullae formae frequentius, quam aliae imminuerentur, sed quia delectus ejusmodi neque ab iis scriptoribus sedulo habitus, qui Ciceronis aetati fuerunt suppares, neque a grammaticis probatus est, quorum plurimi plenum verbum pro contracto collocarunt, nihil potius illi habentes, quam ut praecepta analogiae omnibus omnino locis servata reperirentur. Itaque hi plurimis locis plenam formam posuerunt, quae deinde vulgata est, ubi ex melioribus libris contracta reponi debet. Ut Orat. in Verr. IV, 23, 50 ex regio codice Parisiensi *imperasse* scribendum est, cum *imperavisse* habeant libri vulgati. Pari modo ex ejusdem libri auctoritate ibid. V, 12, 30 *consuerat* V, 31, 80 *consuerunt*, *consuerat* praeferre vulgatae scripturae audemus, praesertim cum alii libri egregii illa commendent. Est enim in Vatin. X, 24 *(consuerunt)* in Cod. Erfurtensi, p. Caecin. XXI §. 59 in Codd. Erf., Oxonn. Paris. Ambros. Ac nescio, an p. Caecin. XXXIX, 97 *judicarunt* ex libro Taurin. dedisse praestet. Nec aliam rationem Beierus in libris de officiis secutus est, cum *liberasset*, *copulassent*, *audisse*, *judicasset*, *perseverasset*, *roborasset* refecit, Cf. Ind. pg. 28, aut Madvigius, qui in Catone II, 4 *putassent* ex regio Cod. Paris. legit, cum Orellius *putavissent* edidisset. Quid plura? Effecisse videor id, quod probare animus fuit, imminuta haec verba non solum a Cicerone probata atque usurpata, verum etiam ab analogiae doctoribus multifariam exterminata esse, ubi nobis reponenda viderentur. In quorum ordine vetus corrector habendus est, qui rescriptum librum emendavit.

is enim fueram, cui quum liceret aut majores..... non dubitaverim. Copiose defendit Madvig. Ep. Crit. ad Orell. pg. 106 hoc attractionis genus, quo F. C. Wolfius elegantiam horum librorum liberare voluit, scribens: *qui cum liceret.* Quam verborum consecutionem grammatici quum exemplis probare conantur, partim sententias ab hoc genere longe alienas adferunt, ut de Fin. II, 20, 64 et de Off. I, 22, 76 — ibi enim pronomen relativum pro demonstrativo positum initio sententiae nec demonstrativum in primaria elocutione usurpatum est, ut ratio sententiae postulat — partim dicta inter se permiscent, quae variam orationis habent licentiam. Nam si nonnulli criticorum hominum haec Latinitatis exempla, etsi certa essent, tamen non modo maxime improbarunt, verum omnino etiam tollere sunt conati, tanto gravius eos negligentiam orationis tulisse oportet, quo magis relativi pondus vi demonstrativi, quod antecedit, pronominis augescit. Atque haec insolentia dicendi hoc loco maxime insignis est. Cujus generis enuntiationes proponam duas Ciceronis de Off. I, 3, 8. *Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant, medium autem officium id esse dicant, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.* Flacco 36. 90. *Ergo is qui si, aram tenens juraret, crederet, nemo per epistolam quod volet injuratus probabit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf